T. BRAHE

Henr. Ranzovio.

1585.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°


Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

45,-197.

DA

Box

= L N 425

LN 425

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

# NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO, SAPIENTIA ET ERVDITIONE INPRIMIS EXCELLENTI, D. HENRICO RANZOVIO POTENTISS: REGIS DANIÆ IN HOLSATIA VICARIO ET CONSILIARIO, PRÆFECTO ARCIS SEGEBERGÆ ET DOMINO IN BREDENBERGA &c: ASTROLOGIÆ OMNIVMQVE LIBERALIVM DISCIPLINARVM EXCVLTORI

& promotori laudatiſſimo,
Amico ſuo plurimum
Colendo.

SAlue prælustris Majorum Henrice propago,
Ranzouiduṁq; ingens Fama, Columna, Decus;
Te quoq; nunc Elegis mea Muſa inuiſit amicis,
Dum claros Studijs Progenieq; petit,
Stemmatis es ſiquidem nulli ſplendore ſecundus,
Ingenijq; ornas nobilitate Genus:
Es quoq; Pieridum doctis nutritus in vlnis,
Pocla vbi Pegaſeo fonte canora bibis:
Teſtantur veluti Terras vulgata per omnes
Carmina, quæ generis ſunt Monumenta tuj;
Ingenij tantam reſonantia Carmina venam
Vt referant ipſos ex Helicone ſonos.
Ergò, quid obſtabit, quin Verſus, Vatis Amores,
Ingenuò Vati, noſtra Thalia feret?
Adde, quòd Vraniam, reliquas quæ celſa Sorores
Anteit, In precio, quale meretur, habes,
Quod te Authore Liber toti ſat comprobat Orbj,
Sidera quo laudi Regibus eſſe doces:
Dum celebras, prima repetens ab Origine Mundi,
Aſtra quibus dederint celſa perenne Decus;
A veteri monumenta Poli nam ducis Adamo,
Per Sethum, & ſoboles, & per Enocha pium;
Vtq; pater Thares, & filius ipſe Abrahamus
Sidereas populos edocuere vias;
Et quos præterea tibi pagina Sacra miniſtrat,
Quoſq; etiam crebrò ſcripta profana ferunt:
Atlantem, Alcidem, Hermetem, Oriona, Prometheū,
Et mora quos omnes longa referre foret;
Nam quibus ex aſtris olim Regumq; Ducumq;
Claruit altus Honos, copia magna tibi eſt,

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Nec ſaltem veteris, ſed & æui Encomia noſtri,
Vraniæ in laudem, ſplendidiora refers;
Hiſtoriamq; Poli ſub tempora noſtra propagas,
Donec & hinc laudẽ Rex FRIDERICVS habet:
Qui modò Danorum Populos Faſceſq; gubernans
Et numero, & pariter ſorte Secundus, agit.
Hunc licet a reliquis, quibus alta per Æthera Fama eſt,
Ordo æui ſtatuat poſteriore loco,
Dignior ille tamen primos numerarier inter,
Temporis hoc ſeries ſi pateretur, erat,
Huius enim auſpicijs, ſi viribus Æthera quantis
Dania conſcendat, parua vbi Huæna jacet,
Sidereiſq; vijs quàm Machina multa parata eſt,
Si videas, dices, Primus Is eſſe meret;
Nullius Imperio Regis fateare neceſſe eſt,
Excultos tanta ſedulitate Polos.
Cuius fama tuas ſiquidem peruenit ad aures,
Intuitu vero fortè minora refert:
Quippè vocas ſpeculam, quas Diuæ ſtruximus Ædes,
Vnde liquet, formam te latuiſſe Domus,
Aſt tibi quò melius conſtet, ſub Imagine quali
Stent hic cœlicolæ ſtructa Theatra Deę,
Artifici pictam calamo tibi mitto Figuram,
Qua domus Vraniæ conſpicienda patet.
Exteriora quidem ſic omnibus obuia pandit,
Quæ capit interius, pingere, multa vetant;
Nam licet hæc aliquis cernat multumq; diuq;,
Qui non Aſtrorum myſtica Sacra capit,
Ille oculis ſubitò fiet quoq; cæcus apertis,
Vſq; adeò jgnaros interiora latent;
Tu ſed ea aſpiciens, cui nota ſat Inclyta Diua eſt,
Veſtigia agnoſces quotquot Olympus habet;
Organa namq; dicata Polo tot tantaq; cernes,
Qualia vix ætas condidit vlla prior;
Seu ſpectes Formam, Artem, Materiamue, Laborem,
Diſtinctos tenui ſeu ſub amuſſe Gradus,
Omnia ſunt dices longè exactiſſima, nè qua,
Sidera ſcrutanti, labe vacillet opus.
Tu modò quàm primum loca Danica nota reuiſens,
Selandũm hoſpitio tecta propinqua ſubis,
Fac non diſpliceat leuis huc quin porthmis Huænam
Te vehat, hîc forſan quod recreabit erit;
Aſpicies coràm, quibus jtur in Æthera Scalis,
Quamq; cita & certa Sidera lege patent.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Hîc quoq; Veſtarum noſces Secreta Dearum,
Qualia vix alio conſpicienda loco;
Ingenuasq; omnes cernes tractarier Artes,
Multaq; quæ Genio ſint placitura tuo.
Et modò, neſcio quid, velut alto præſcia Cœlo
Suggerit Vranie, quod citus hoſpes eris;
Omina vera fient, nec te mora longa retardet,
Aduentum accelerent, ipſa vel Aſtra tuum;
Hunc ſpondet Studium; quo mecum Sidera ſcandis,
Spondet & hunc dudum ſat ſtipulata Fides;
Hæc quoq; deficiant, quamuis rata ſingula conſtent,
Ille vetus noſter te mihi ſpondet Amor;
Qui multis dudum retrò numeratur ab Annis,
Vrbs velut eſt teſtis Stipite dicta Roſæ:
Hanc vbi tranſires, Dani Legatio Regis
Mutua Amicitiæ fœdera prima dedit;
Tunc cæleſtis Amor, nobis innatus vtrinq;,
Nos in Amore etiam junxit vtroſq; pari;
Qui modò perdurans creſcit creſcentibus annis,
Conſtanti ſimilis, quo ſatus ille, Polo.
Hæc tibi Danorum celebris qua Porthmus Huænam
Alluit, Aſtra mouens ſcribere Diua jubet;
Quæ te ſincerè redamans, tibi dicere Grates,
Atq; optare ſuo nomine Fauſta monet.
Viue diu incolumis Muſarum Fautor & Hoſpes,
Vraniæ celebris per Sacra, viue diu.
Egregioſq; velut ſpectas longo ordine Natos,
Quos Virtus, Probitas, Ingeniumq; beant,
Creſcentes pariter Virtutis laude Nepotes
Vt videas, Superos Muſa nouena rogat,
Vrania antè alias multum tibi chara Sorores,
Te poſt ipſa etiam viuere fata cupit.
Hoc pariter, tibi qui multùm fauet, optat Apollo,
Optima quæq; ſimul docta Minerua volet.
Nec ſaltem Superi, mortales inſuper orant,
Vt diuturna tibi Stamina Parca neat.
Ipſe quoq; addictos non vltimus inter Amicos
Cum facili eueniat longa Senecta precor.
Et modò quod ſupereſt, Felix cum Coniuge chara,
Cumq; tua tota Prole, domoq; Vale.

*Datum URANIBURGI*
*Kal: Martii Anno 1585.*
*Tuus TYCHO BRAHE.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 425 2°